



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 249. [i.e. 294] Et Congregati cum Senioribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

gelus & hæc libere sepulchrum intrare permissæ sint, & viderint certitudinẽ omnium de resurrectione : Hæc inquam annuntiantes milites in civitate vulgabant.

Domine hic video impleri illud Prophetæ, Lingua canum tuorum ex inimicis quia quando tu vis etiam veritatem prædicant inimici tui, nonne & ego inimicus tuus sum ob varia & gravia mea peccata? quid faciam ut veritatem tuam agnoscam, eam sequar in emendatione, & tandem gloriam tuam, & veritatem prædicem ubique verbo & exemplo: Da obsecro gratiam Domine ut discam mandata tua, & intelligam ita ut firmiter ea credam omnia quæ de te scripta sunt & mandata, ut ea faciam, & quæ prædicari iubes prædicem pro gloria tua.

§. 249. *Et Congregati cum Senioribus.*

Milites scilicet custodes sepulchri convocati effecerunt, ut primum enim audierunt seniores & Principes hanc de resurrectione Christi veritatem propalari, ut convenirent ad locum concilii Judæorum, mandarunt atque ut interea tacerent donec habito desuper concilio quid loqui & agere deberent, statuerent apud populum. Videntur consilium malignum, ut ante mortem Christi convenerant in unum, ut eum damnarent morte turpissima, ita nunc ut auferant honorem debitum, & veritatem suppriment. Quomodo laborant, qui rectum iudicium facere & veritatem defendere debebant uti seniores, prudentiores Doctores & electi è plebe in idipsum. Quomodo conantur destruere & supprimit veritatem? quibus technis & machinationibus? ô tempora! ô mores! quid mirum si mendaces sint filii, ubi parentes sunt adeo fallaces, si Cives mali, ubi iniusti gubernatores? si iniqui, si in interitum ruant, si plagis multis invisantur & puniantur cives & subditi, ubi rectores iniqui, iniusti, malevoli, odientes veritatem, propter delicta Regum plectuntur Achivi, humiliantur Cives, destruuntur Civitates, transferuntur regna.

Bone Iesu, ne in tantum mei obliviscar ut iniquitatem magis amem quam æquitatem, mendacium quam veritatem: potius obsecro detur mori, quam velim veritatem supprimit, aut honorem alteri debitum auferre, sic me Deus adjuvet & sancta Dei Evangelia.

§. 295. *Consilio accepto.*

Auditis hinc inde testimonijs de veritate resurrectionis Iesu Christi, tam per rumorem civium quam custodum sepulchri præsentium, quid facerent, ut tam ipsorum seniorum & principum iniustitia tegetetur, maxime circa Christi Innocentis crucifixionem, quam eius resurrectio à mortuis,